

communicabant. Hæc Senatui significata sollicitos Patres habebant, ne Rex, foederatis omissis, cum Imperatore pacisceretur, magisque in ejus animo præsens utilitatis species, quam sociorum fides vim esset habitura. Ipse vero vel ut æquiores, atque honestiores pacis conditiones consequeretur, vel ut sociorum suspectas mentes firmaret, extra ordinem oratores ad Senatum miserat, qui de expeditione Italica agerent, in quibus Theodorum Triultium, ac Joannem Joachimum, qui Regis nomine Flaminiae urbes depositi loco apud illum statui peterent, quo usque ad exitum grave illud negotium perduci posset: huic rei si Senatus annuat, foederi Clementem adjunctum iri; id summi momenti ad res feliciter conficiendas fore. Ad ea Senatus decreto responsum est: Reipublicæ ad pacem constituendam oratori in Galliis facultati impertitam: in Cameracensi conventu de conditionibus disceptari; inter cetera de hoc quoque agendum; neque vero Senatum, suis rebus tutis, ac reliquis compositis controversiis, a Regis sententia, & voluntate alienum fore. Oratorique in Galliis Senatus consulto datæ literæ, quibus jura, quæ in Ravennæ, & Cerviæ urbibus obtinebat, summo studio tueretur, injungebatur; ne de hac re per pacis conditiones transigeretur, laboraret; ad extremum, ni aliter fieri posset, urbes Regi ad tempus traderet. Episcopus quoque Tarbellensis per hos dies Venetas venit; is, ut quæ bello necessaria forent, Senatus pararet, postulabat; triginta aureorum millia in singulos menses pro septem milliis ac quingentorum peditum stipendiis, ut Regi persolverentur, petebat. Senatus decreto in hanc sententiam Tarbellensi dictum est: cupere magnopere Senatum post tot bellorum clades Cameraci pacem publicam, ac communem inter Christianos Principes, ita Christianæ Reipublicæ afflictis, & perturbatis rebus poscentibus, firmari, regios juvenes in libertatem vindicari; quæ si adversante fortuna obtineri nequeant, quid reliquum esse, nisi ut bello decernatur? Reipublicam pacis semper studiosam, atque appetentem, bellum tum suadere: Regi potentissimo in Italianam trangresso, firmissimis, ac validissimis copiis, omnia prospera eventura: illius adventu foederatos, auctis animis, nihil non, quod in rem communem esset, præstaturos: Tarbellensem

Theodorus  
Triultius  
& Joannes  
Joachimus  
oratores ad  
Venetos, &  
eorum offi-  
cia.  
Senatus re-  
sponsio.

Mandata  
Senatus ad  
oratorem  
in Gallia.

Tarbellensis  
Gallie ora-  
toris officia  
de bellicis  
apparati-  
bus.  
Senatus re-  
sponsio.